



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIONES

I N

TRES LIBROS ARISTOTELIS

DE ANIMA,

A VCTORE

R.P. RODERICO DE ARRIAGA

E SOCIETATE IESV.

PROOEMIUM

DIVVS Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 8. duas precipuas in Philosophia docet esse questiones, vnam de Anima, alteram de Deo: primamque efficere, vt nos ipsos nouerimus; alteram, vt originem nostram: illam nobis dulciorem, hanc esse chariorem; illam nos dignos beatâ vitâ, hanc beatos reddere. Quibus S. Augustinus excellentiam, utilitatem & suauitatem scientie de animâ (cuius explanationem aggredimur) satis apertè demonstrat. Ad hanc & ipsi Ethnici suos hortabantur passim. Nam, teste Tullio lib. 1. Tusculanarum quest. & Plotino lib. 3. Enneadis 4. cap. 1. oraculum olim in foribus templi Delphici inscriptum monebat, quemque maximè eniti debere vt animi naturam cognosceret. Eius enim spectatâ excellentiâ, facile sibi persuadebit quilibet, non esse in his fluxis caducisque rebus immorandum, qui tam nobilem eius originem agnouerit, eiusque supra res omnes creatas imperium considerauerit, ac solius infiniti Dei immensis Oceani aquis satiari se posse experiatur. Videantur de hoc Conimbricenses in presenti.

Hanc esse precipuam Philosophie partem, constat & ex nobiliori illius obiecto, scilicet animo rationali, & quia (vt Disputatione 11. Logicæ à numero 51. ostendi) cognitio rationum communium ordinatur, vt ad obiectum precipuum attributionis, ad cognitionem rationum particularium: quapropter cognitio octo librorum Physicorum, item Generationis & corruptionis, in quibus de corpore substantiali completo in comuni agitur, ad hos tres libros, in quibus de precipuâ illius specie, scilicet de corpore animato, & precipuè de homine, disputatur, ordinem dicit ex naturâ suâ.

Hinc infero, in his libris non agi precipuè de animâ secundum se, sed de corpore animato, quia anima seorsim sumpta non est species corporis substantialis, hæc enim est animal, homo, &c. Philosophus autem in his libris agit in particulari de his, quo-

D d d 2 rum

rum rationes communes in precedentibus explicuerat, ergo in presenti non tam de animâ secundum se, quam de toto composito animato disputat. Dicuntur autem libri de Animâ, per denominationem à præcipuâ corporis animati parte.

Rogabis, utrum in his libris etiam agatur de animâ intellectuâ. Ratio dubitandi est, quia si de illâ ageretur, deberet etiam agi de omnibus entibus quæ ab ipsâ possunt cognosci, quia intellectuum & intelligibile mutuo referuntur, relatorum autem eadem est scientia: quo discursu usus est Aristoteles lib. 1. de Partibus animalium cap. 1. ut probaret, Philosophum non agere de omni animâ. Nihilominus respondeo, animam intellectuam non solum esse obiectum, sed præcipuum huius scientiæ.

Ad rationem dubitandi respondeo, Primum, si quid eâ conuincitur, sanè probari, nullam scientiam posse agere de animâ intellectuâ, quia ea scientia deberet agere de omnibus entibus; nulla autem scientia est quæ sola agat de omnibus rebus. Secundo respondeo, scientiam agentem de animâ & eius intellectu, agere quidem de omnibus entibus ut de obiectis materialibus proximis, sicut in simili diximus de Logicâ, disputantes de modo sciendi formali, & consequenter de obiectiuo ut de obiecto materiali proximo: verum quia eiusmodi disputatio de rebus est valde imperfecta, & solum eas attingit secundum rationem communem, quatenus scilicet possunt cognosci ab intellectu, idè necessum est, alias esse scientias ab animâ distinctas, ponere, quæ magis distinctæ & in particulari de omnibus illis obiectis secundum proprias differentias disputant.

Hinc inferes, immeritò ob eam rationem Aristotelem negasse, Philosophum agere de omni animâ. Poteris tamen ulterius obijcere: Ergo etiam in his libris agatur de alijs brutorum animabus; illa enim sunt species corporis corruptibilis, sicut & homo. Respondeo, in re potuisse de illis aliquam esse scientiam, & hoc conuincit obiectio facta; de facto tamen nullam esse singularem quæ de illis tractet. Congruentia huius potest esse, quia illarum operationes sunt valde diuersæ, & parum nobis notæ; animus autem rationalis in altiori genere constitutus, & nostri præcipua pars, meritò peculiarem de se disputationem à nobis exegit.

Uterius potest dubitari, utrum ad Philosophiam pertineat disputare de animâ separata. Ratio dubitandi est, quia ex una parte anima secundum illum statum separationis, non componit ens physicum; ergo ut sic, non pertinet ad Philosophum: aliunde verò etiam ut separata habet aptitudinem ut componat totum, ergo eius disputatio pertinet ad Philosophum. Propter hæc diuisi sunt Auctores. Affirmat Hurtadus & recentiores communiter in presenti: negant Conimbricenses & alij ibidem. Magis tamen placet sententia Hurtadi, quam ulterius sic confirmo.

Ad scientiam, ad quam pertinet disputare de aliquo composito, pertinet etiam disputare de illius partibus: sed perfecta notitia animæ, quæ est pars viuentis, requirit notitiam eorum statuum quos potest anima naturaliter habere, ergo pertinet ad Philosophum agere de statu separationis animæ, cum hic sit illi connaturalis. Confirmatur, eo quod in Physicis agitur de corpore completo substantiali, agitur etiam de materiâ & formâ substantiali, non solum ut actu componentibus, sed etiam ut separatis; inquitur enim, utrum materiâ naturaliter aut diuinitus esse possit sine formâ, & quâ actione tunc conseruaretur; quod etiam inquitur de formâ: ergo similiter ad Animasticam pertinebit idem de animâ disputare. Hinc manet soluta ratio dubitandi in oppositum: fateor enim, animam, ut separatam, formaliter non componere viuens; ve-

rim,

rūm, quia ille status est anime connaturalis, & perfecta anime notitia in his libris intenditur, etiam pertinet ad illos disputatio de predicto anime statu.

Scientia de animā, maiori ex parte speculatiua est: nam cognitio de ipsā animā & eius potentijs nequit nobis ad eas efficiendas deferuere; quā parte uero agit de illius actibus, practica uidetur, possumus enim ex cognitione eorum actuum ad eosdem efficiendos dirigi.

Circa ordinem horum librorum hac seruabo. primò agam de essentiā anime, eiusque compositione & uitā; secundo, de eius potentijs in communi; tertio, de potentijs proprijs anime intellectiue; quarto, de illius habitibus; quinto tandem, de rationali separata nonnulla dicam.

DISPUTATIO PRIMA.

De Animā secundum se.

SECTIO I.

Animi definitio.



RISTOTELES lib. 2. cap. 1. animam definiuit esse actum primum corporis organici physici potentia uitam habentis. Illud actus est genus, quo anima conuenit cum omnibus formis, etiam accidentalibus, quæ omnes sunt actus sui subiecti. Tā primus ponitur loco differentia à formis accidentalibus, quæ sunt actus secundus subiecti. Pro quo aduerte, actum primum & secundum dupliciter usurpari solere: Primò pro uirtute productiua quæ actus primus dicitur; & pro actione, quæ dicitur actus secundus: in hoc sensu non omnia accidentia sunt actus secundus; multa enim sunt operatiua, & consequenter sunt actus primus. Alio sensu sumitur in præsentem actus primus, scilicet pro eo quod est primum complementum substantiale rei, quod proprium est solius formæ substantialis; accidentalis uero in hoc sensu proprium est, esse actum secundum, supponentem iam completum substantialiter subiectum, de quo fufius in Metaphysicā. *Corporis physici*: his uerbis excluduntur corpora artificiosa & Mathematica, quorum formaliter ut talium anima non est actus primus informans aut constituens. *Organici* explanantur dispositiones, quibus materia necessario debet preparari ad receptionem animæ; sed quia hæ dispositiones videntur etiam esse aliquo modo in cadauere, ideo additur ultimò *potentia uitam habentis*, quia corpus sub animā habet potentiam proximam ad uitam, quæ caret dum est sub formā cadaueris, aut embryonis. Circa hanc definitionem

Prima potest esse difficultas, Quid nomine corporis in præsentem significetur. Non defuere, qui intelligerent non solum materiam organizatam, sed etiam informatam ipsā animā uiuentis, non quidem secundum omnes suos gradus, sed solum secundum gradum corporeitatis; ipsam autem animam secundum ultimum gradum uiuentis esse actum quasi Metaphysicum & sui ipsius

& simul etiam materiæ, secundum gradum corporis præcisè. Ita expressè P. Suarez Disput. 1. §. Metaphysicæ, lect. 10. num. 15. Arbitror, rectè posse dici, Metaphysicè loquendo, gradum ultimum animæ esse actum seu formam gradus superioris ipsius animæ, imò de facto differentia Metaphysicè seu Logicè semper dicitur actus generis; quæ in re nihil falsum docet Suarez. Verum in præsentem *corporis* non ita esse intelligendum, uidetur certum, quia hic locutus est Aristoteles de corpore ut de comparte reali animæ; corpus autem, ut includens ipsum gradum superiorem animæ, non distinguitur realiter, sed Metaphysicè solum ab ipsā animā, etiam secundum ultimum gradum uiuentis, ergo *corporis* non includit ultimum gradum animæ. Præterea, si anima solum sumeretur in præsentem secundum ultimum gradum Metaphysicum uiuentis, non esset actus primus corporis, quia iam supponeret corpus primò substantialiter completum per gradum superiorem ipsius animæ, scilicet, formæ corporis, vel substantiæ ut sic.

Alij docent, *corporis* significare totum ipsum compositum, uiuens etiam secundum infimum gradum; animamque dici, actum primum illius, non quidem informantem, quia non informat totum compositum, sed constituentem. Ita multi recentiores, contra quos alij satis prolixè.

In primis, posse animam dici actum constitutum totius compositi, certissimum est; unde ex hac parte rectè poterat nomine *corporis* totum compositum explicari, etiam si anima diceretur illius actus. Sic anima dicitur forma hominis, & albedo forma albi, & tamen homo includit ipsam animam, & album albedinem. Verum in præsentem ab Aristotele non fuisse in hac acceptione usurpatum nomen *corpus*, suadet aperte ex eodem loco, text. 11. ubi tradita hac definitione, subdit, *anima & corpus est animal*, ergo Aristoteles nomine corporis non intellexit nisi solum materiam ut condistinctam ab animā. Deinde text. 4. dixerat, *atque cum tale etiam sit corpus, id est habens uitam, corpus profecto non erit anima, sed ut subiectum potius est & materies*. quibus uerbis clarè

Ddd 3 ostendit.